Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Hieronimus ad Florentinum de ortu amicitiae

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

consurgentibus bellis regnum eius fuisse delectum; In rebus obscuris diuersas po-
nimus opiniones utilius scribere quam loqui tibi certum uidetur et enim et apostolus inter-
minabiles genealogias et iudaicas fabulas prohibens. Destitus modi mihi uidetur et in-
terdicere quaestionibus. Quid enim prodest haerere in littera et uel scriptoris errorem
uel annorum seriem calumniari cum manifestissime scribatur: Littera occidit spiritus ui-
uificat. Relege omnes et ueteres et noui testamenti libros. et tantam annorum repperies
dissonantiam. et numerum inter iudam et israhel. Id est inter regnum utrumque
confusum ut huiuscemodi edere quaestionibus non tam studiosi quam otiosi homi-
nes uidebantur. Munuscula tamen libenter ate missa suscepi et impendio precor ut
amore quo nos adpetere coepisti ad finem usque perdures non enim coepisse sed perman-
sisse uirtutis est. nostra uicissim per desiderium missa suscipe. HIERONIMUS

AD FLORENTINUM. DE ORTU AMICITIAE

Quantus beatitudinis tuae rumor diuersa populorum ora conpleuerit. hinc poteris aes-
timare quod ego te ante incipio amare quam nosse. ut enim apostolus ait quorun-
dam hominum peccata manifesta sunt. praecedentia ad iudicium ita e contrario tuae
dilectionis fama dispergitur. ut non tam laudandus sit ille qui te amat quam scelus
putetur facere ille qui non amat; Praetermitto innumerabiles in quibus xpm susten-
tasti pauisti uestisti uisitasti heliodori fratris adiuta necessitas mutorum etiam potest
ora laxare. quibus gratiis quo ille praeconio peregrinationis incommoda te fota referebat
ut ego ille ardentis sinus quem intollerabilis languor inuaserat paene pedibus cari-
tatis et uotis te salutauerim et iam conplexus sim; gratulor itaque tibi et nascen-
tem amicitiam ut dignes federare dignetur precor. Et quia frater rufinus qui cum
sancta melania ab aegypto hierusolimam uenisse narratur indiuiduam mihi german-
itatis caritate conexus est. quaeso ut epistolam meam huic tuae epistolae copulatam ei red-
dere non grauens. noli nos eius estimare uirtutibus in illo conspiciens expressa sancti-
tatis insignia. et ego cinis et uilissima pars luti et iam fauilla dum uegetor satis habeo
si splendorem morum eius inbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. ille modo
lauit mundus est et tamquam nix dealbatus ego cunctis peccatorum sordibus inquina-
tus diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere nouissimum quadrantem-
sed tamen quia dominus soluit conpeditos. et super humilem et trementem uerba sua requi-
escit. forsitan et mihi in sepulchro scelerum iacenti dicat hieronime ueni foras. sanctus
presbiter euagrius plurimum te salutat. et martinianum fratrem iuncto salutamus
obsequio. quem ego uidere desiderans catena languoris innector; AD EUNDEM

In ea mihi parte heremi commoranti quae iuxta syriam sarracenis iungitur tuae
dilectionis scripta perlata sunt quibus lectis ita reaccensus sum hierusolimam proficis-
cendi ut paene nocuerit proposito quod profuerit caritati, Nunc igitur quomodo ualeo pro
me tibi litteras repraesento. et si corpore absens amore et spiritu uenio impendio postulans
ne nascentes amicitias quae xpi glutino cohaeserunt aut temporis aut locorum mag-
nitudo diuellat quin potius foederemus eas reciprocis epistolis ille inter nos currant —

ille se obiciet ille nobiscum loquetur· non multum perditura erit caritas· Si talis secum ser
mone fabuletur· Rufinus autem frater ut scribis necdum uenit & si uenerit non multum
proderit desiderio meo cum eum iam uisurus non sim· Ita enim & ille longo interuallo
separatus est ut huc non possit currere· & ego arreptę solitudinis terminis arceor ut coeperit
mihi iam non licere quod uolui· ob hoc & ego obsecro & tu ut peto & ut plurimum quero ut tibi beati
reticii augustodonensis epi commentarios ad describendum largiatur· In quo canticum
canticorum sublimiore disseruit· Scripsit mihi & quidam de patria supra dicti fratris rufini
paulus senex tertulliani suum codicem aput eum esse quem uehementer reposcit· & ex hoc que
so ceteros libros quos me non habere breuis subditus edocebit librarii manu in carta scribi iubeas·
Interpretationem quoque psalmorum dauid quorum & prolixum ualde de sinodis librum sci
helarii que ei aput treueris manu mea ipse descripseram eque ut mihi transferas peto· Nosti h
oc esse xpianę animae pabulum si in lege dni meditetur die ac nocte· Ceteros hospitio recipis
solatio foues sumptibus iuuas mihi si rogata praestiteris· multa largitus es· & quoniam tribuente
dno multis sacre bibleotice codicibus habundamus impera uicissim quodcumque uis mittam·
Nec putes mihi graue esse si iubeas· habeo alumnos qui antiquariae arti seruiunt· Neque uero bene
ficium pro eo quod postulo polliceor· Heliodorus frater mihi indicauit te multa de scripturis querere nec
inuenire· aut si omnia habes incipiet sibi caritas uindicare plus poscere· Magistrum uero pue
ri rufini de quo dignatus es rescribere quem plagiatorem esse eius non dubium est· sepe euagrius pres
biter· dum adhuc antiochiae essem me presentem corripuit· cui ille respondit· Ego nihil time
o dicit se calomnino suo fuisse dimissum· & si uobis placet ecce hic est transmitte eum quo uultis·
In hoc arbitror me non peccare si hominem uagum non sinam longius fugere· Quip
pe quia ego in hac solitudine constitutus non possum agere quod iussisti· Rogaui karis
simum mihi euagrium ut tantum quantum mei causa instanter negotium prosequatur·

HIERONIMI AD ABIGAUM SPANUM

Quamquam mihi multorum sim conscius peccatorum & cottidie in oratione fle
xis genibus loquar· Delicta iuuentutis meae & ignorantias meas ne memineris·
Tamen scientes dictum esse ab apto· Ne inflatus in superbiam incidat in iudicium diaboli & in ali
o loco scriptum superbis ds resistit humilibus autem dat gratiam· Nihil ita a puero uitare
contendi quam tumentem animum & erectam ceruicem di contra se odia prouocantem·
Noui enim magistrum & dnm & dm meum in carne sua humilitatem dixisse· Discite a me
quia mitis sum & humilis corde· & ante per os dauid cecinisse· memento dne dauid &
omnis mansuetudinis eius· & in alio loco legimus· Ante gloriam humiliatur cor uiri & ante
ruinam eleuatur· Itaque obsecro te ne me putes scriptis litteris tuis ante tacuisse &
aliorum uel infidelitatem uel neglegentiam in me referas· Quid enim causae erat ut
prouocatus officio tacerem & amicitias tuas meo silentio repellerem· Qui ultro soleo bonorum
appetere necessitudinem & meorum ingerere caritati· Quia meliores sunt duo quam unus
& si alter ceciderit ab altero fulcietur· funiculus triplex non rumpitur & frater fratrem
adiuuans exaltabitur· scribe igitur audacter & absentiam corporum crebro iunge sermo
ne· nec doleas si hoc non habeas quod formicae & muscae & serpentes habent id est carnis
oculos·